



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Candidatus Abbreviatus Jurisprudentiae Sacrae, Hoc Est,
Juris Canonici, Secundum Gregorii Papae IX. Libros V.
Decretalium Explanati Summa, Seu Compendium**

Pichler, Vitus

Augustae Vindel., 1733

Titulus XI. De Infantibus, & Languidis Expositis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63462](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-63462)

598 LIB. V. TITULUS XI.

Iem Caroli V. etiam in hoc precedere debeat, vel
subsequi, aliqua exasperatio, ac soleat, præsentim
si conjunx vel cognatus propinquior occidatur, v.
g. crurifragium, vel injectio cadaveris in Rotum
D. Frölich in *Nemesi* p. 2. l. 2. tit. 14. n. 1. Eadem
gladii pœnâ, licet aliam, nempe suffocationem in
aquis &c. ordinet Constitutio Carolina art. 13.
& 133. afficitur vi Consuetudinis fœmina, in
tum vel in utero existentem & jam animatum ani-
ma rationali, vel jam editum in lucem, occiden-
ad occultandum delictum, licet pro ratione cir-
cumstantiarum exasperari soleat. In procurantes
abortum, præsentim si fœtus jam fuit animatus ani-
ma rationali, etiam pro foro Canonico grauissi-
mas sanxit pœnas Sixtus V. in *Const. Ad effra-
tam*, quas nonnihil moderatus est Gregor. XII
in *Const. Sedes Apostolica*.

3 Quæres, quid sentiendum de parentibus, q
non dedita operâ & dolô malô, at non sine culpa
occidunt prolem, v. g. collocando eam in eodem
secum lecto, & in somno, vel alias præter inter-
tionem opprimendo? R. arbitrariè sunt punien-
di, si satis de culpa constet; nam pœna triennal
jejunii, de qua loquitur c. fin. b. t. exolevit. De
in quibusdam diœcesibus, nisi circumstantiae en-
tent parentes à culpa gravi, incurunt casum Ep.
cupo reservatum.

TITULUS XI.
*De Infantibus, & Languidis Ex-
positis.*

SUMMARIUM.

1. Qui dicantur Infantes, vel Langidi expa-
2. Pn

2. Per se peccant, & puniuntur, parentes prolem suam exponendo.
3. An etiam fœmina id faciens ad declinandam infamiam.
4. Quis teneatur alere Expositos forte repertos.
5. An Expositi pro Legitimis habendi.

SUbinde contingit, ut parentes vel ex pauperitate, aut ad declinandam pœnam vel infamiam exponant seu deserant infantes seu liberos septenniō minores, allii verò *languidos*, seu gravi ac diuturno morbo laborantes cuiuscunque etatis, uti domini famulos ægrotantes seu ex sortitie seu ex duritie cordis quandoque domō ejicunt, utrique sæpius non sine periculo vitæ *expositorum*. Quid ergo de his sentiendum?

Dico 1. Parentes per se peccant gravissimè exponendo infantes, uti & domini destituendo, vel domo expellendo famulos aut ancillas ægrotantes. 2. Illi amittunt propterea patriam potestatem, isti dominicam vel œconomicam. 3. &, si exponant in loco periculoſo, v. g. solitario, ita ut facile succurri non possit, vel spes auxilii aliunde ferendi, & defensionis contra mortem, moraliter non sit, ac mori vel extingui infantem &c. contingat, pœnam capitis incurront. Pars 1. sumitur ex 6. un. & l. 2. C. h. t. l. 4. ff. de agnos. & alend. lib. ac ex ratione, quia graviter delinguunt contra pietatem, & officium parentum, ac boni Christiani. Dixi tamen, *per se*; per accidens enim excusari possunt, si ex una parte ob paupertatem desint ipsis media alendi, ita ut nec per se nec per alios alere queant, ex altera verò parte

exponant in loco tuto, ita ut moraliter non subiat periculum interitus, & spes moraliter certa, à p̄s hominibus brevi reperiendos, assumendos, & alendos esse expositos, ut si exponant ad hospitale, vel ad ædes hominis pij & diiyitis. Gonst. ad d. c. un. n. 10. ac alii passim. Pars 2. ex c. 11. cit. l. 3. & fin. C. h. t. Pars 3. ex l. 4. cit. l. fin. cit. & Conſtit. Carolina art. 132. Si vero existens non sit, vel solum per accidens & casualiter, pœna est arbitraria, v. g. fustigatio, relegatio &c pro diversitate circumstantiarum. per d. Conf. Carol. Carpzov. Praet. Crim. p. 1. q. 10. n. 11.

3 Quæres, an licitum fit fœminæ, quæ ex delicto concepit & peperit, alias bonæ famæ, ad declinandum infamiam, alio modo non evitabilem, exponere prolem in loco tuto, & tali, ubi moris est spes, proli de alimentis & educatione provisum iri? R. id probabile videri Julio Claro, Menoch. Sanch. Henriq. & P. Seybold in *Erotic. Reipubl. Christ.* p. 7. ſ. 11. n. 13. contra alios multos. Rationem dant; quia talis mater in tantas redacta augustias videtur retinere jus ad bonam famam (quamdiu delictum manet occultum) simul conservet, vitam prolis, eique alimentationem & educationem dictò modò prouocret, non obstante, quod proles aliqua subeat incommoda, cum mater longè majora, præfertim in fama, que est bonum altioris ordinis, subiret. Confirmant à paritate cum parentibus ex causa paupertatis prolem sic exponentibus. *Objic.* I. Justè patitur talis mater infamiam, quia per delictum dedi causam, & facile prævidere potuit secururam inde infamiam: ergo injustè hoc modo declinat infamiam.

miam. 2. Obligatio alendi & educandi prolem certò incumbit ipsis parentibus, & quidem principiter: ergo non possunt licetè hoc onus in alios transferre, qui solùm tenentur secundariò. & pro casu extremæ necessitatis, in qua ponitur talis infans expositus, & quidem à matre, quam ipsa Natura adstringit ad suam prolem alendam & educandam. 3. Alii non tenentur ad avertendam alterius infamiam suscipere in se onus grave, quale hic est onus alendi & educandi: ergo nec justè ad id cogi possint à matre exponente. R.
ad 1. Quamvis justè pateretur infamiam, justè tamen eam in talibus circumstantiis declinat; quia nullibi videtur ipsis prohibitum assumere tale medium ad eam evitandam, si simul consulat proli. Ad 2. Quamvis parentibus per se incumbat onus alendi prolem, per accidens tamen & ex justa causa excusari possunt, ac in alios illud transferre, ut patet in exponentibus ex causa paupertatis. Ad 3. Quamvis alii non teneantur ad id per se, neque à matre exponente, & prolem redigente ad extremam necessitatem, cogi, per accidens tamen & ex justa causa obligari possunt, & indirectè cogi, cum talis mater videatur jus habere prolem in tales circumstantias ponendi, in quibus alii vices ejus subire teneantur; ut si exponat ob paupertatem.

Dico 2. Expositos fortè repertos tenentur alere ex pietate & misericordia 1. brephotrophium, Findlhauß / Orphanotrophium, Waiflhauß / vel aliud hospitale ad hujusmodi pia officia erectum. 2. His deficientibus Ecclesia. 3. Si hæc non habeat sufficietes facultates, com-

Pp 5

Mu-

munitas loci, in quo inventi sunt, communibus expensis. Barbosa & P. Wiestner h. t. n. 6. nisi nempe privatus aliquis velit hoc pietatis omni sponte in se suscipere. Interim tamen suscipiens & alens (regulariter) repetere à parentibus, si de iis constiterit, & satis habentes fuerint, potest sumptus; cum nemo censeatur vel presumatur velle suis sumptibus alere liberos parentum divitum, malitiosè exponentium contra officium pietatis.

Dico 3. Infantes expositi, die *Findling/oder Kindskinder* / quorum parentes ignorantur, ratiōnē habentur pro legitimis. Ita communior cum Baldo & Menoh. contra Suar. Covarr. & Rebellum alósque. Prob. I. ex c. un. h. t. ubi dicuntur liberari à patria potestate: sed iuxta *ſ. fin. Inst. de nupt.* patria potestas locum non habet nisi in liberis legitimis. 2. In dubio semper sunt præferenda benigniora. l. 56. ff. de R. *ſ.* præsertim ac in specie, quando agitur de favore & legitimitate proli. l. 7. & 12. ff. de statu hom. l. 3. *ſ. fin. ff. de suis & legit. c. 14. qui fil. sint legit.* Accedit ratio, sit: tamen satius est omnes expositos habere pro legitimis, licet aliqui exponant non legitimi, quam aliquos re ipsa legitimos & innocentes privare legitimatis jure. Sed dubium est, dices, an expositi sint ex thoro legitimi nati? sit: ast etiam exponi solent ex legitimis nuptiis procreati, v. g. propter paupertatem, metu instantis periculi, aut aliam causam, uti configit Moysi, Cyro, Paridi &c. Unde 4. licet sèpe, infrequentius exponi soleant illegitimè nati, v. g. ad tegendum delictum, & præsumptio alias fieri debeat

beat à communiter & frequentiùs contingentibus, id tamen non procedit, quando in oppositum stat præsumptio fortior, uti censetur esse, quæ excludit peccatum, & quæ favet proli, ut habet communis sententia. arg. c. 2. de R. J. l. 51. ff. propositio. l. 7. & c. 14. citt. ergo. Objic. Justæ Nuptiæ, ex quibus solis nascuntur legitimi, consistunt in facto: sed in dubio factum non præsumitur, sed probandum est. R. Etiam fornicatio & illicitus concubitus consistit in facto: ergo non debet præsumi, eò minùs, quod involvat peccatum, & præjudicet proli. Interim tamen qualitas nobilitatis non præsumitur in talibus, & ideo ad dignitates & ad officia non admittendi sunt, ubi requiritur hujusmodi qualitas. Imò rectius etiam non admittuntur ad Ordines & beneficia Ecclesiastica Cura-ta, propter dubium & periculum illegitimitatis, si-ne prævia dispensatione, quam, utpote in casu du-bio, dare potest Episopus ad removendum omne dubium illicitæ promotionis, ut notant DD.

TITULUS XII.

De Homicidio Voluntario & Casuali.

SUMMARIUM.

1. Quid, & quotuplex sit Homicidium.
2. 3. Quando sit licitum.
4. Et quando illicitum ac injustum.
5. Pœna Homicidii Dolosi, & Culposi.
6. Quid sit Irregularitas: & Mutilatio.

7. Ir.